



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Secvndvm Argymentvm. Quæ Throni Dei nomine interdum censentur
beatissimæ Virgini Deiparæ peculiari ratione tribui. Cap. tertio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

lennes earum legatos quodammodo honorificentius excipere voluisse; quippe qui throno omnium, quos siue in caelis siue in terris habebat, magnificentissimo infidens, inter brachia nimirum matris, se eis adorandum exhibuit. Et hoc quidem complures Patres expressè testantur, Ambrosius serm. 1. de Epiphania, Mater, inquit, partu molli blanditur gremio, eum adorandum Magis ingerit. Chrysostomus homil. 8. in Matth. Inuenerunt, inquit, Magi puerum cum Maria, quae eum in suo gremio collo-

Ambros.

Chrysost.

cauit. his astipulatur Hilari. Arelaten. homil. 1. de Epiphania, Eusebius Emisenus in cap. 2. Matth. Puer, inquit, in sinu matris oras, & Euthym. in Matth.

Hila. Arel.
Euseb. E.
miss.
Euthym.

2 Quando, inquit, ingressi sunt Magi, Virgo Christum super genua habebat.

Ex quibus omnibus liquido apparet Deiparam thronum Dei ab Ecclesia, & Patribus appellari, & per Dei thronum in sacris literis aptè significari.

SECUNDVM ARGVMENTVM,

QVAE THRONI DEI NOMINE INTERDV M CENSENTVR,

Beatissime Virgini Deipara peculiari ratione tribui.

CAPVT III.

S Y M M A R I V M.

Deipara est Coelum. num. 1.

Quomodo figuretur per columnam nubis. n. 5.

1
Secunda ratio, qua Virgi. throni Dei nomen conuenire probatur.



Secundum argumentum quo probamus per thronum De beatissimam Virginem significari illud est; quod eorum nomen, quibus throni Dei interdu m tribuitur appellatio, B. Virgini singulari ratione conueniant; ut per antonomasiam thronus Dei appellanda videatur; quod in hoc capite sic demonstrare conabimur. Sedes Dei, ut c. 1. dicebamus, appellatur interdum caelum; Angeli quoque sancti, iustorum animae, & Ecclesia ipsa Dei thronus vocatur: columna item nubis diuinæ Sapientiae thronus dicitur; sed B. Virgo, vel iisdem nominibus in diuinis oraculis, & à sanctis Patribus appellatur, vel eminentiori modo ea continet, ob quæ hæc omnia sedes Dei dicuntur, quod si diuina maiestas interdum throni Dei nomine significatur, profecto inter puras creaturas in Deipara maiestas Dei potissimum relucet: ergo ipsa singulariter præ omnibus est thronus Dei.

DEIPARA SIGNIFICATR per Cælum.

B. Virgo dicitur Cælum.

In primis ipsa Virgo sanctissima sæpe dicitur à Sanctis, Cælum, propter suam eximiam celsitudinem, claritatem, firmitatem, incorruptionem, amplitudinem, puritatem, propter suam caelestem in terris conuersationem, & supra reliqua, præstantiam; & quia Christum

solem iustitiæ nobis detulit. Simul etiam quia veluti caelum in hæc inferiora, multa in nos bona suis precibus, & meritis influit, atque impetrat: quin etiam instar caeli mentem habuit omnibus diuitiarum, honorum, & deliciarum cupiditatibus superiorem: hæc enim sunt, quæ in mortalium animis veluti terreni vapores, & exhalationes in inferiori regione ventos, ac perturbationum procellas gignunt; ad caelestem tamen regionem minimè pertingunt. S. Iacobus Apostolus in sua liturgia ad Deiparam: Tuum, inquit, uerum thronum fecit, & tuum uentrem lassorem, & ampliozem caelis reddidit. Et idcirco Bern. ser. 2. super Salus Regina, Virginem per firmamentum dividens aquas ab aquis, quod Genes. 1. initio creasse scribitur: Deus significat ostendit his uerbis: Et opera manu eius annunciat firmamentum; Fiat, inquit firmamentum & uisitat aquas ab aquis. Omnibus firmamentu firmius firmamentum tu Domina; quæ eum, quæ caeli capere non poterant, cepisti, & concepisti; portasti, & non defecisti; genuisti, & luisisti, pauisti, māmasti, & educasti. Tu in medio aquarum diuisisti aquas ab aquis, affectus uide licet aeternorum ab affectibus temporalium. Posuit Deus in hoc firmamento solem, & Lunam, Christum, & Ecclesiam, & stellas, prærogatiuas gratiarum multas sic Bern & Epiphani. ser. de laud. Deipar. cum dixisset uterum Virginis esse caelum septem circulis constans, illisque capaciorem, ita subiicit: Dico, inquit, illam esse caelum, thronum simul, & crucem, extendens enim sanctas uenas Christum portauit. & infans Gabriel saluans Virginem, Aus gratia plena; quæ est

S. Iacobi

Bernard.

Virgo Dei.

para per

firmamen

tum signi

ficatur.

Genes. 1.

Psal. 18.

Epiphani

- est splendendum caelum, qua habet radium de caelo lucidis facibus coruscantem, utpote solem Christum haec Epiphanius, S. Athanasius sermone in descriptionem sanctissimae Mariae, & S. Ioseph apud Metaphrastem, & habetur in Surio tom. 6. die 25. Decembris, loquens de virginitate Deiparae post partum: Non conquinatum fuit, inquit, secundum illud Caelum, nisi, conmaculatum vultu Mariae Dei capax effectum. Methodius oratione in hypapantem, Deiparam vocat eius, qui loco comprehendi non potest, caelum varè comprehensibile.
- Chryf. ser.** Chrysoctomus serm. de Annunt. B. Virg. inducit Deum mittentem Gabrielem ad Deiparam his verbis: *Vade, inquit, ad alterum thesaurum.* COELUM, quod est in terra & in alio sermone de B. Virgine, illam in hunc modum salutat: *Aue Caelum,* Proclus Episcopus Constant. de Deipara: *Hae,* inquit, *Ancilla, & Mater, Virgo, & Caelum.* Augustin. serm. 18. de Sanctis: *Quid inquit, dicam? si Caelum te vocem, altior es; si Dominam Angelorum, per omnia esse probaris.* Hesychus homil. 2. de B. Virg. loquens cum Christo: *Si tu, inquit, es gemma, meridò illa es arca; & quis sol existis, necessarid Virgo vocabitur caelum ita Hesychus.*
- And. Cres.** 2. Andreas Cretensis oratione in Annunciationem Virginis: *Salve, inquit, Caelum, soli gloria caelestis tabernaculum:* imò vocat eam domicilium Caeo praestantius. Damascenus orat. 1. de Natiuit. *Hodie, inquit, exterrera natiuitate caelum Deus condidit, caelo illo longe diuinius: nam qui in illo solem effecerat, ex hoc iustitia sol ortus est.* & orat. 2. de Natiuit. agens de Virgine: *Cuius, inquit, venter caelum est.* & orat. 2. de dorm. *Virgo immaculata cum esset animatum caelum, in caelestibus tabernaculis collocatur.* Rupertus lib. 5. in Cantica initio, vocat eam: *Caelum Dei, veram sedem Domini.* Quod Vir. S. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 4. §. 2. docet caelum sic appellari firmamentum, & cap. 22. §. 9. ex sedes Dei, phicat illud Isai. 66. *Caelum mihi sedes est, & simi terra scabellum pedum meorum: Calum, inquit, est Virgo quo ad animam totam caelestem, plenam claritate, & sideribus virtutum, in qua propter maximam eius puritatem requiescit Deus, & in corpore eius terreno humili, & fructifero, tanquam in scabullo steterunt pedes eius; id est, humanitas Christi in ventre eius assumpta, ibi sol maximus iustitiae Christus Deus noster; & quem cali capere non poterant, suo gremio con-*
- culo B. Virg. cap. 5. Caelum, inquit, est Maria, tum quia caelesti puritate, caelesti claritate, caelestibus aliis virtutibus abundauit; tum quia sedes Dei altissima fuit, teste Propheta, qui dicit, Dominus in caelo parauit sedem suam. haec Bonauentura. Idem confirmatur ex iis Patribus, qui dicunt vterum Virginis caelo capaciorem; quos cap. 13. afferemus, ubi de supernaturali capacitate Virginis ad excipiendum Deum agemus. Apostolus verò 1. Corinth. 13. quodammodo eam caelum appellare videtur, cum primum hominem dicit de terra terrenum, secundum autem, id est, Christum, de caelo caelestem, quem Galat. 4. dixit factum ex muliere: ergo mulier haec, ex qua formatus est secundus homo caelestis, mysticum quoddam est caelum, quamvis non ignorem Apostolum in sensu litterali Christum appellare caelestem ratione Verbi, quod de caelo descendens, humanae naturae in vtero Virginis Deiparae est, vultum. Ad haec Sapientiae 18. Deipara non obsecu. è caelum esse indicatur illis verbis: *Cum quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de caelo à regibus sedibus, durus debellator in mediam exterminis terram profiliuit,* quod de Christi quoque natiuitate intelligi posse diximus capite superiori, ac proinde quemadmodum vterus Virginis regales sedes, ita ipsa Deipara caelum ibi nominatur. Quo circa Ambrosius de Instit. Virg. cap. 5. *Isaias, inquit, exultans dicit, Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus; unde hoc munus non de terra vsique, sed de caelo vas sibi hoc, per quod descenderet Christus elegit, & sacrauit templum pudoris.* Ita Ambrosius de Virgine, quam vocat caelum. Et sanè sicuti caelum sole, luna, & aëtis, quae cunctis sunt conspicua, ornatur; illud tamen caeli dignitatem magis commendat, quia Deus, quamuis vbique locorum sit, peculiaritamen ratione in caelis esse dicitur, ut propterea Christus nos sic orare docuerit, *Pater noster, qui es in caelis.* Ita tot inter ornamenta, Deiparam nihil aequè decorat, atque ipsum Deum in se concepisse, & habuisse. Propterea mulier illa Apocalyp. 12. (quae Deiparam in sensu saltem allegorico significat, ut cap. 31. dicemus) apparuit veluti signum magnum in caelo, ad cuius ornatum sol, quo amicitur, & luna, quam calcat, & stellae, quae eam**

Apostolus
Virginem
caelum esse
indicat.

Cap. 13.

1. Cor. 13.

Galat. 4.

Sap. 18.

Cap. 26
nu. 22.

Ambros.
Isa. 7.

Apoc. 12.

Cap. 31.
1. & 2.

coronant, certatim concurrere videntur: id tamen, quod eam in primis commendat, & quod in ea erat præcipuum, nimirum Deum in se concepisse, & hoc non ex virili opera, sed virtute Spiritus sancti, tanquam quid ineffabile, periphrafi illa, *habentis in utero*, exprimitur; sic enim legitur, *Signum magnum apparuit in Cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in utero habens*, hæc ibi. sic enim illud (*habens in utero*) ponderat S. Bernardus Seneusis tom. 3. ser. 1. de nomine glorioso Mariæ art. 1. c. 3. Quod ipsum indicari videtur Cant. 4. cum dicitur:

Cant. 4.

Quam pulchra es amica mea, oculi tui columbarum, absq; eo quod intrinsecus latet: filius enim, qui intrinsecus in utero latuit, pulcherrimam reddidit B. Virginem: ex hoc enim vera Dei genitrix est effecta, quæ est dignitas quædam infinita, quemadmodum c. 5. dicemus.

Cap. 5.

Damascen

Rsal. 44.

*Quare Damasc. orat. 1. de Natiuitate. Hæc scæmina, inquit, summo Regi Deo tanquam simbriis aureis circumamictam virtutum elegantiam offeri Spiritus sancti gratia coronatam, cuius gloria ab intus: Dei enim genitricis gloria interna est, nimirum fructus ventris. sic ille. Illud porro quod sequitur: *Clamabat percutiens, & cruciabat, ut pariat, in sensu tantum mystico aptatur Deiparæ; significat enim antiquorum Patrum, & ipsius Virginis, antequam Christum conciperet, vehemens desiderium, quo Dominicæ Incarnationis desiderio flagrabant, illaq; summis animi clamoribus à Deo efflagitabant:**

Agg. 2.

Genes. 49.

*ideo enim Christus Agg. 2. dicitur, desideratus cunctis gentibus, & Gen. 49. Desiderium collium aeternorum: si enim de Christi pativitate in sensu historico loquamur, Virgo sanctissima quæ admodum absque carnis voluptate Christum concepit, ita absque ullo dolore illum peperit, iuxta illud Isa. 66. *Antequam parturiret peperit, quod Isaia testimonium ad hoc confirmandum affert Damascenus lib. 4. de fide c. 15.**

B. Virgini

magu quã

Angelis

Throni Dei

nomen cõ-

gruit,

Præterea si Angeli, in quibus Deus requiescit, propter naturæ præstantiam, & peculiarietate throni, qui sunt tertius ordo supremæ hierarchiæ, propter similitudinem, ut diximus, ad materiales sedes: & Cherubim propter scientiæ, quæ præditi sunt, plenitudinem (sic enim eorum nomen interpretari licet) sedes dicuntur Dei: Quanto magis hoc nomine præ illis appellabitur Deipara, quæ omnibus Angelis pu-

*ritate præcellit, quæ ut dicunt S. Iacobus, & S. Chrysostomus in liturgia: Et honoratior Cherubim, & gloriosior incomparabiliter est Seraphim, in qua Deus præstantissimo modo, non in anima tantum, sed in utero etiam singulariter requieuit, in qua, ut in sequentibus videbimus, excellentiori quadam ratione Thronorum Angelicorum proprietates invenire licet, quæ sapientiæ, & scientiæ plenitudine omnibus Cherubim antecellit. Quocirca Bernardus de Virginis cælesti super omnes Sapientia ser. in Apoc. 12. *Luce, inquit, Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinam Sapientiam, ultra quam credi valeat penetravit abyssum; ut quantum sine personali unione creatura condito patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. & ab Epiphanio, & Hesychio locis citatis vocatur: aliter thronus Cherubicus: & à Damasceno orat. 1. de Natiuitate. Thronus Cherubinis sublimior, & Epiphanius ser. de laud. Virg. Angelos confertens cum Virgine respectu Christi illos vocat scabellum pedum Christi: Exercitus, inquit, qui sunt scabellum pedum Christi procedentes, nec contingere possunt; hæc verò labra labris coniungens incomprehensum salutabat. sic ille. S. Augustinus ser. 14. de Natu. Dixit, inquit, Angelus Maria, Dominus tecum, plusquam mecum: ita est Dominus tecum, ut sis in corde tuo, sit in utero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam, Cæterum de sanctissimæ Virginis cum Christo familiaritate, quæ Angelos longè superat, uberior agemus c. 8.**

4. Quod si anima iusti sedes Dei dicitur Sapientiæ 7. Patres item Ecclesiæ, & Doctores à Richardo sedis Dei nomine significari dicuntur; quanto magis Deipara sanctissima per Dei sedem intelligenda est, quæ inter iustos principem apud Christum obtinet locum? & propterea Ildesofus serm. 2. de Assumpt. probare volens Deiparam esse thronum Dei, *Si enim, inquit, anima cuiuslibet iusti sedes est Sapientia, teste scriptura, multo magis huius beatissima Virginis anima, quam Spiritus sanctus sic implevit, etiam ante Conceptionis horam, ut saluaretur ab Angelo, Ave Maria gratis plena, quam postea filius Dei sic replevit, sicq; possedit, ut in ea Verbum caro fieret. De qua Anselmus in inuocatione Matris Virginis, Sancta, inquit, & inter sanctos post Deum singulariter sancta. Si ergo Sancti thronus Dei dicuntur, ipsa verò est singulariter Sancta.*

S. Iacob.
S. Chrysost.

Bernard.

Epiphani.

Hesych.

Damasc.

Epiphani.

August.

Cap. 38. B.

Virgo magis quam

anima iusti

sedes throni

Dei nuncupari debet.

Ildesofus

Ildesofus

Anselm.

62

Et singulariter quoque erit thronus Dei, quare Petrus Damianus serm. de Assumpt. Sanctam sanctarum vocat, & Andreas Creten- sis de dorm. Virg. O sancta inquit, & sanctio sanctior. & omnis sanctitatis sanctissime thesan- re. Damascenus orat. 2. de dorm. Cernere, in- quit, mihi visor hanc sanctis sanctiorem, & sacra sacratiorem, pijs pietate prastantiorem, Bernardus serm. de aquæ ductu, ut pro- baret magnam vim, & efficacitatem precum Eccles. 35. Virginis, citat illud: Oratione susti penetrat ca- habetur o- los, & subdit: Et quis iustus si non Maria iusta, ratio hu- de qua sol iustitia oritur est nobis: S. Bernardus militantis tom. 3. serm. 11. art. 3. cap. 1. Sicus, inquit, filius se penetrat Maria est sanctus sanctorum; ita constas quod Mater, qua ipsum portauit, est sancta sanctorum, Prouerb. in qua erat ille preciosus thesaurus, tabernaculu 15. oratio- Dei, thronus Dei, atque thalamus Dei, hæc S. Bernardus. Et quoniam de sanctis virgini- bus, necnon interdum de alijs sanctis mu- lieribus illud peculiariter canit Ecclesia ex persona Christi: Veni electa mea, & ponam in te thronum meum. S. Ildesonus serm. 3. de As- sumpt. eadem verba B. Virgini à Deo dicta existimat in eius Assumptione. Et sanè po- tiori iure id dici potest Deiparæ, quæ Virgo est virginum, & virginitatis primiceria, quod fusc ostendemus cap. 32. & inter sanctas mulieres mulier per antonomasiam quan- dam dicitur Genes. 3. & mulier fortis Prou. 31. & à Christo mulier sæpè est compellata. Accedit eodem quod omnia omnibus sanctis concessa dona: id quod cap. 5. ostende- mus (modo sexui non repugnent) præstan- tissimo modo reperitur in Deipara, tum propter eius singularem dignitatem, qua est Dei genitrix: tum etiam propter similem quo- dammodo rationem, qua S. Thom. 1. par. q. 108. art. 5. docet, superiores Angelos per ex- cessum continere inferiorum perfectiones, ergo etiam ipsa Deipara excellentius, quam alii Sancti thronus Dei appellabitur. Iam verò si Ecclesia sedis Dei nomine insigni- tur, quidni beatissima Virgo sic appelletur, quæ olim in Ecclesia militante, & nunc in triumphante secundum Christum præstan- tissimum est Ecclesie membrum, & sum- mum in cælis præ Angelis, & Sanctis adepta est locum? Quare honorificentissima illa, quæ in Canticis de Christi sponsa, hoc est Ecclesia, dicuntur elogia, beatissimæ quo- que Virgini congruere, tanquam sponsæ,

præ cæteris Christo dilectissimæ, non tantum per accommodationem: sed etiam in sensu aliquo à Spiritu sancto intento, docet Andr. Cretenensis orat. 2. de dorm. Virg. Te, inquit, Canticorum liber prædescribens, mysticè significa- uit. Idem quoque tradunt omnes fere, qui Cantica interpretantur: præsertim Honorius Augustodon, qui circa annum 1120. claruit: in libro, quem inscripsit, Sigillum Mariæ, Gulielmus Parisiensis in Comment. Cant. Rupertus Tuitiensis in Cant. & lib. 7. de glo- ria Trinitatis, & processione sancti Spui- tus cap. 13. Dionysius Carthusianus in Cant. Aponius, qui ante 800. circiter annos floruit libr. 2. in Cant. qui etiam in fine Cantico- rum, infelicem pronunciat, qui hoc non credit.

5. Iam verò thronus Dei dicitur esse in co- lumna nubis: nam Eccles. 24. divina Sapien- tia de se ipsa ait: Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis. Et quidè thro- nus hic divinæ Sapientiæ in columna nubis aptissime de B. Virgine dicitur: quemadmo- dum Hugo in illum locum, & in Ha. 66. ex- plicat: Divina autem Sapiencia attribuitur, seu appropriatur filio Dei, iuxta Apostolum 1. Cor. 1. vbi Christum dicit Dei virtutem, & Dei sapientiam, de qua appropriatione ex August. lib. 15. de Trinit. cap. vii. S. Thom. egregie 1. par. q. 39. art. 7. & 8. Cum verò Dei Verbum ex virgine carnem assumens in eius utero resederit, cuiusque vlnis deferri volue- rit, meritò ipsa peculiaris est divinæ Sapi- entia thronus. Hic porro thronus esse di- citur in columna nubis, quæ solis ardorem temperat, terramque irrorat, atque fecundat. Et quemadmodum ad tenebras depellendas fulgura, & ad obdurata hominum corda con- cutienda, tonitrua subinde existunt ex nubi- bus, ita Virgo sanctissima hæc omnia my- sticè operatur in iis qui eius amore, ac de- uotione tenentur; quemadmodum facile quivis ei aptare poterit. Dicitur etiam nubes non quidem terrestris, & pondere gravis, vel obscura, sed levis, iuxta Ha. cap. 10. Ecos Ha. 39. Dominus ascendet super nubem levem, & ingre- dietur Ægyptum, & commovebuntur simula- cra Ægypti à facie eius, est etiam nubes luci- da, iuxta Psalm. 77. & deduxit eos in nube diei: Psalm. 77. quæ omnia de Virgine accipienda esse do- cent Patres; Nubem enim levem, Haia 39. de Virgine intelligunt Chrysostomus ora- tione

Ambros. tione in Annunciatione: Ambrosius serm. 5.
Hieronym. in Psal. 118. & de instr. Virg. cap. 13. Hieronymus,
Procop. & Procopios Gazes in Ita. 19. Nubes
Gaz. quidem, quoniam ex Ambrosio, pluit in ter-
B. Virgo ras gratiam Christi, & quia pluit in nobis plu-
quomodo viam spirituales, temperamentum flagrantiae
dicitur corporalis, ut corporis omnes restinguantur
nubes le- ardores, atque interna mentis humescat:
vis. Hac pluvia, inquit Ambrosius, Eva restrinxit
Ambros. appetentiam, hoc unguentum factorem heredi-
Est levis. tatis erroris absterfit. Leuis est haec nubes, quae,
 ex eodem Ambrosio, & Hieronymus, nullo hu-
 mani seminis pondere est praeuata, Leuis et-
 iam ex Ambrosio, quia leuauit hunc mundum
 de graui fauore peccatorum, qua remissionem
 peccatorum uero gestabat: denique eleuauit lo-
 annem in uero constitutum, qui ad uocem eius
 exiuit, & infans exultauit in gaudio prius sen-
 sus deuotione, quam spiritus infusione uitalis
 animatus: haec ad uerbum ex Ambrosio. Quomo-
 do autem Christus super hanc nubem leuem
 ascendens simulacra Aegypti deiecit, ca. 23.
Cap. 23. exponemus. Beatissimam quoque Virginem
Chrysipp. nubem uocant Chrysippus hom. 2. de Deip.
Helich. Aue, inquit, nubes pluuia, potum animis sancto-
B. Virgo rum exhibentis, & Helichius hom. 2. de Deip.
dicitur Nubem eam dicit pluuia incorruptas conti-
nubes dei nentem. De nube uero diei, de qua Psal. 77.
Psalm 77 Epiphanius serm. de laud. Virg. Aue, inquit,
Epiphani. gratia plena, Nubes columna similis, qua Deum
 habes, qui populum deduxit per desertum. &
 iterum O B. Virgo nubes, inquit, es lactea, qua
 fulgur de caelo lucidissimum ad illuminandum
 mundum deduxisti, Christum: nubes caelestis,
 qua donatum spiritus sancti in se ipsa reconui-
 tum deduxit in mundum, & umbrae spiritus
 sancti in uniuersam terram ad producendum si-
 dei fructum cum impetu demisit. haec Epipha-
Proclus. nius. Proclus Episcopus Constantinopol. de
Hieron. Deipara: Haec, inquit, uero leuis nubes, qua super
 Cherubim sedentem in corpore suo gestauit. Hiero-
 nyms in illum Psalmum: Certe, inquit, nu-
 bem leuem debemus sanctam Mariam accipere:
 pulchre dixit in nube dies: nubes enim illa non
 fuit in tenebris, sed semper in luce. Ita Hierony-
Virgo fi- mus. Haec est nubecula illa parua 3. Reg. 18.
guratur quali uertigium hominis, propter suam insigni-
per nube- nem humilitatem, quae ascendebat de mari,
culam. id est ex parentibus, in hoc procelloso, & a-
3. Reg. 18. mato seculo degentibus: sed altior, & leuior
 ipso saeculo: in qua uertigium hominis, id est
 Christi, qui ex ea carnem suscepit, apparuit;

& grandem, atque optatissimam toti populo
 attulit pluiam: ipsum scilicet Christum, de
 quo Isa. 45. *Rorate caeli de super, & nubes plu-*
ant iustum. Haec est nubes, quae solem ipsum
 uertit, scilicet Dei filium, carne sua, iuxta
 illud Ezech. 32. *Solem nube tegam,* & uicissim
 ab eo gloria fuit uertita, iuxta illud Apoc. cap. 12.
Mulier amicta sole.

Quare Bernardus serm. *Signum magnum,*
 cum ad beatissimam Veginem loqueretur
 de Christo. *In te, inquit, manet, & tu in eo, &*
uestis eum, & uertis ab eo: & uestis eum sub-
stantia carnis, & uestis illo te gloria sua manifestat,
uestis solem nube, & sola ipsa uertis. Georg.
 gius uero Nico. orat. de Praesent. Virg. uocat il-
 lam nubem in qua sedens is, qui ingreditur
 super nubes caelestes, destruxit simulacra, quae
 colebantur ab Aegyptiis. At uero dicitur co-
 lumna nubis, & in Altissimis; in Altissimis
 quidem tum propter caelestem eius adhuc in
 terris degentis conuersionem, tum etiam
 propter iumentam Virginis dignitatem, atque
 praestantiam ab his terrenis longe seiuinctam,
 & super omnia euectam; ut in sequenti nobis ca-
 pitibus ostendemus. Columna autem propter
 rotundam, atque exactam, nec non omni ex
 parte praecipuo artificio diuinitus elabora-
 tam, atque omnibus numeris absolutam, uir-
 tutum, & donorum omnium perfectionem,
 uitaque sanctimoniam, cuius patrocinio per
 mundi huius desertum, ad caelestem Ierusa-
 lem deducimur. quare Andr. Cretensis orat. 2.
 de Deipar. *O columna, inquit, uiuifica non car-*
nalem per lucem deducens Israel, qui fugat-
ur, sed spirituales, qui deducuntur ad inerran-
tem lucem cognitionis diuinitus illuminans faci-
bis. O nubes tota lucida, & mons umbratus non
 adumbrans ingrassum populum Iudaorum, sed
 delectum Dei populum, genem sanctam materis
 tuis sedis illustratam. Et deo Hieron. in Psal. 77.
 (ut dixi) de ea exponit illud *Et deduxit*
 eos in nube dies. Propterea S. Bernardinus
 tom 3. serm. 11. art. 1. capit. 3. uult Deiparam
 figuratam in columna nubis, quae protege-
 bat, & obumbrabat populum, *Es aliquando,*
 inquit, *praecebat, aliquando sequebatur, al-*
quando super ferebatur, ut mystice patrocinia
multiplicia beatae Virginis inuidentur, erga popu-
lum electorum, & omnium Christianorum.
 haec S. Bernardinus. Sanè columna illa nu-
 bis Exod. 12. filiis Israel in deserto ad terram
 promissionis contendentibus non solum Virgo est
 uiam

Ezech. 32.
Apoc. 12.

Bernard.

Georg.
Nico.
B. Virgo co-
lumna
nubis in
altissimis,
& quare
columna.Andr.
Cret.Hieron. 1.
Psal. 77.
S. Bernar-
dinus.Exod. 12.
viam

columna
ostendens
locum ca-
strorum.
Num. 9.

viam ostendendo ducem se praestitit, & à solis ardore protegit; verum etiam statione sua locum castrorum ostendebat. Num. 9. quæ omnia spiritualiter Virgo operari solet in suis devotis. Quando ergo ad loca, in quibus peccandi sunt occasiones, incitaris, sanè ille non est locus tibi à Virgine ostensus; cum ibi sit mysticè scorpio, dipsas, & serpens flatu adrens, de quibus Deuter. 8. Virgo enim ea loca ad castrametandam nobis ostendit; quæ animæ quieti, ac profectui sunt opportuna, quo circa eius consilium attendente mente excipiendum, eius sequenda vox est, vt nos admonet

Deut. 8.

Bonavent

Bonaventura in spec. B. Virg. cap. 3. Maria est nobis columna nubis, iuxta illud Psalmi, De auctu-ritate eius in nube, quia tanquam nubes protegit ab

Psal. 77.

astu divina indignationis; & ab astu diabolica tentationis, sicut dicitur in Psalmo, Expandit nubem, &c. Maria quoque est columna ignis in no-ve seculi huius illuminans mundum, citatque illud Bernardi, Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens, um-

bramortis, ac densissima tenebra relinquantur? hæc ex Bonaventura de Virgine, quæ dicitur columna nubis, & ignis, & quemadmodum Exo. 14. in vigilia matutina respexit, inquit, Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum, & subvertit rotas curruum, ferabanturq; in profundum: Ita Deus per Deiparam tamquam per fenestram cæli, & per mysticam columnam ignis, & nubis, respiciens dæmonis vires, & potentiam penitus evertit, quod fufius c. 22. & sequentibus ostendemus.

Bernard.
Exod. 14.

Cap. 22.
Dei maie-
stat in Vir-
gine osten-
ditur.

Quod si denique dicas in Dei sede plerumque Dei maiestatem, auctoritatemque signifi- ficari: hoc quidem negari non potest; attamen in nulla pura creatura ita relucet Dei gloria, atque maiestas; divina item attributa, præsertim potentia, sapientia, & bonitatis, sicut in Virgine Deipara, vt propterea S. Bernardinus tom. 3. conc. 61. art. 6. ca. 4. dicat, Deiparam appellari Psal. 8. Dei magnificentiam, quod fufius ostendemus ca. 15. vbi proprius erit huius rei tractandæ locus.

S. Bernard.
Psal. 8.
Cap. 15.

**TERTIVM PRÆCIPVVM ARGV-
MENTVM QUOD DECEM PROXIMIS CAPITIBUS CONTINE-**

tur, quò quatuor illa propter quæ Throni Angelici ex Dionysio Areopagita hoc nomen sunt adepti, longè præstantiùs in Deipara inveniri demonstratur,

**GRATIAE MAGNITVDO VIRGINI DEIPARAE DIVINITVS IN SV A
immaculata Conceptione collata, & de Gloriosissimo iuxta,
ac Suavissimo nomine Maria.**

C A P V T I V.

Tertiaratio, qua ex comparatione thronorum Angelicorum Virgo Dei thronus astruitur.
Dionys.

TERTIVM principale argum- tum, quo ostendimus beatif- simam Virginem per Dei thro- num intelligi, sit ex iis, quæ sacri Doctores de tertio ordine supremæ hierarchiæ, qui Thro- ni dicuntur, scribunt; præcipuè Dionys. c. 7 de Coelesti hierarchia, vbi eorum proprietates ex eorundem nomine sic investigat: Thronorum, inquit, summorum, & excel- sorum nomen decla- rat id, quod ab omni terrena humilitate sine ad- mixtione secretum est, quod ad superiora divino studio fertur, nec in infimis vllis rebus habuit: sed totis viribus in eo, qui vere summus est, immo-

biliter firmiterq; hæret: diuinumq; aduentu sunt vlla motione, atque materia recipit: ac Deu por- tas, officio seq; ad ea, quæ diuina sunt, capienda pro- pensum est: hæc Dionys. Ex cuius doctrina col- ligit S. Thom. 1. par. q. 108. art. 5. ad 6. Thro- norum Angelicorum ordinem per conue- nientiam (ut ipse ait) ad materiales sedes ex- poni: in quibus quatuor docet considerari posse, primò situm, quia eleuantur à terra; & throni ita eleuantur, vt rationes rerum im- mediatè in Deo cognoscant, secundò firmi- tatem; in sedibus enim quis firmiter sedet: sed hic è conuerso ait euenire, ipsi enim thro- ni firmantur per Deum: tertio quod sedes su- scipiat

S. Thom.
Quatuor
in quibus
throni
Angelici
materias
assimilan-
tur.